

propter poenitentiam et luctum sint dimittenda, ita etiam Alleluja propter vocem, quae gaudium significat, dimittendum esse constituerunt. Unde etiam post resurrectionem, quia illi dies gaudii et laetitiae sunt, censuerunt, sine intermissione esse canendum, eo quod ipsius vox gaudium et laetitiam demonstrat.

*Cap. XVI. QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR. Ut ait propheta: Septies in die laudem dixi tibi.* Nunc quasi interrogare so videtur S. Benedictus, cum dicit: *Qualiter divina opera per diem agantur*, et iterum quasi respondisse sibimet videtur, cum dicit: *Ut ait propheta: Septies in die laudem dixi tibi* - ac si diceret aliis verbis: Septies in die laudes Deo referendae sunt, ut dicit propheta. Solet S. Benedictus sensum divinarum scripturarum ad suum trahere, sicuti in hoc loco facere videtur, quamquam alii doctores aliter intelligant. Istud enim quod dicit propheta: *Septies in die laudem dixi tibi*, secundum proprium sensum suum intelligitur, i. e. semper laudem dixi Tibi, septies enim pro *semper* ponitur; et quod semper laudem referebat Domino, alibi manifestat idem propheta, cum dicit: *Semper laus ejus in ore meo*. Ille enim semper laudes refert Deo, cujus devotio semper in Deo consistit. Sive enim dormiat sive vigilet, semper laus Domini in ore ejus est. Quia cognovit B. Benedictus, non semper posse os corporis laudem Deo referre sicut in corde,<sup>1)</sup> ideo hunc sensum scripturae hujus ad suum sensum traxit, et intellexit, cum etiam de horis, in quibus jussit Deo laudes esse referendas, dictum fuisse. Quia os corporis, sicut diximus, non potest Deum laudare, sicut os cordis, ideo constituit horas, ut saltem in his temporibus Deo omnipotenti referre laudes queat: i. e. *prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorioque tempore nostrae servitutis officia persolvamus*. Senarius enim numerus ideo sacratus dicitur, quia perfectus

<sup>1)</sup> sicut cor (?), vel: sicut os cordis (?).